



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 76. Facultatis mandatum de signandis articulis a se propositis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

penſio hac erroris ſui revocatione coram Facultatis Doctõribus facta tota liſ compoſita eſt.

§. LXXVI.

*Facultatis mandatum de ſignandis articulis a ſe propoſitis.*

*Argentre  
l. c. p. 329.  
Vid. l. CXL.  
ſ. LXV.*

**H**oc item anno Facultas aliud urgebat negotium, vi cujus quosdam articulos, quos Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, uti jam alibi meminimus, proſcripſerat, a Prædicatoribus, & Magiſtris ſuo chirographo muniri poſtulabat: erant hi articuli numero viginti ſex, quos Franciſcus I. die vigeſima tertia Julii Anno a Chriſti nativitate milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio Lutetiæ Pariſiorum Regiis literis approbabat: porro in iisdem Facultas decrevit, ut omnes Doctores, ac Baccalauræi præſatos fidei articulos chirographo ſuo approbarent, ac confirmarent: cum enim, inquit Facultas, in noſtro grege lupos, & immorigeros, contentioſosque alere tutum non ſit, qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præſatis propoſitiones docuerint, aut in poſterum prædicaverint, e noſtro conſortio eximendos in perpetuum privare decrevimus: ceterum quia plerique, contradicendi, & a majorum inſtitutis diſcedendi ſtudio incitati, ac novarum rerum, & do-

Erinarum studiosi, laudabilem illam consue-  
tudinem, qua per intercessionem beatissimæ  
Virginis Spiritus Sancti gratia implora-  
tur, negligunt; monemus, ne tantopere a  
salutatione illa Angelica, quam nobis Evan-  
gelium præscripsit, abhorreant, neve, ut  
plerique solent, quoties Domini salvatoris  
nostri Jesu Christi mentio occurrit, Salu-  
tiferum illud Jesu nomen præponere de-  
dignentur, contenti dicere, Christus: præ-  
sertim cum, teste Petro, non sit aliud no-  
men sub cælo, in quo nos salvari oportet.  
Similiter cum divorum Apostolorum, Evan-  
gelistarum, aut Sanctorum Doctorum men-  
tio inciderit, ne, uti consueverunt, sine ulla  
honoris præfatione ita nominent, Paulus,  
Jacobus, Matthæus, Petrus, Hierony-  
mus, Augustinus &c. postremo monemus,  
ne defunctorum animas populi precibus com-  
mendare negligant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Hi articuli postea Gallice redditi  
unacum regiis Francisci I. literis die ulti-  
ma Julii anno 1543. in Parisiensis Sena-  
tus tabulas relati fuere, ex ejusdem  
Parisiæ Curia mandato, quod die  
nona Junii Anno Christi millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo secundo emana-  
vit.

§. LXXVII.

*Fidei Professio per Parisiensem Sena-  
tum a suis membris subscribi  
jussa.*

Altera